

Quicumque Iliacos intraverit advena portus,  
 Is tibi solliciti causa timoris erit.  
 Ipse mihi quotiens iratus 'adultera' dices,  
 Oblitus nostro crimen inesse tuum!  
 Delicti fies idem reprehensor et auctor.  
 Terra, precor, vultus obruat ante meos!  
 At fruam Iliacis opibus cultuque beato  
 Donaue promissis uberiora feram:  
 Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur,  
 Congestoque auri pondere dives ero!  
 Da veniam fassae! non sunt tua munera tanti;  
 Nescio quo tellus me tenet ipsa modo.  
 Quis mihi, si laedar, Phrygiis succurret in oris?  
 Unde petam fratres, unde parentis opem?  
 Omnia Medae fallax promisit Iason:  
 Pulsast Aesonia num minus illa domo?  
 Non erat Aeetes, ad quem despecta rediret,  
 Non Idyia parens Chalchiopeque soror.  
 Tale nihil timeo, sed nec Medea timebat:  
 Fallitur augurio spes bona saepe suo.  
 Omnibus invenies, quae nunc iactantur in alto,  
 Navibus a portu lene fuisse fretum.  
 Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam  
 Ante diem partus est tua visa parens,  
 Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo  
 Ilion arsurum praemonuisse ferunt.  
 Utque favet Cytherea tibi, quia vicit, habetque  
 Parta per arbitrium bina tropaea tuum,  
 Sic illas vereor, quae, si tua gloria verast,  
 Iudice te causam non tenere duae.  
 Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur:  
 Ibit per gladios, ei mihi! noster amor.  
 An fera Centauris indicere bella coegit  
 Atracis Haemonios Hippodamia viros:  
 Tu fore tam iusta lentum Menelaon in ira  
 Et geminos fratres Tyndareumque putas?  
 Quod bene te iactes et fortia facta loquaris,